5

# DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, DE GRATIOLA,

QUAM

JEHOVA GRATIOSISSIMO PRÆSIDE,

CONSENSUQUE

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO

GRADU DOCTORIS,

*SOLENNI PHILIATRORUM EXAMINI*

*SUBMITTIT*

JOHANNES JACOBUS BÜRCKEL,

ARGENTINENSIS.

AD DIEM MENS. JUN. A. MDCCXXXVIII.

*ARGENTORATI,*

*Literis* GEORG. ADAMI PIESCKERI, *Univerſ. Typogr.*

ILLUSTRI
LIBERALITATIS
*SCHENCKBECHERIANÆ*
DNN. PRÆFECTORUM
# COLLEGIO,

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, MAXIME R
VERENDO, CONSULTISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,
*MÆCENATIBUS atque EVERGETIS, OMNI HONORIS CULTU VENERANDIS;*
NEC NON
VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, EXCELLENTISSIM
ET CLARISSIMIS,

DN. JOHANNI JACOBO SACHS, *Phil. & Me*
*Doctori & Patholog. Prof. Publ. Ord. Facultatis Medicæ Seniori Ven rando, p. t. Decano ſpectabili, Sereniſſimi Landgravii Haſſo-Darmſt dini & Principis Hæreditarii Conſiliario atq; Archiatro digniſſimo.*

DN. GEORGIO HENRICO EISENMANN, *Phil. &*
*Med. Doct. Anatom. atq; Chirurg. Prof. P. O. longe Celeberrimo.*

DN. JOHANNI BOECLERO, *Phil. & Med. Doc*
*Chymiæ reliquæque Mat. Medicæ Prof. P. O. æſtumatiſſimo.*

DN. FRANCISCO BALTHASAR von Lindern
*Med. Doct. & Pract. editisque variis ſcriptis utiliſſimis famigeratiſſim*

DN. JOHANNI CHRISTIANO EHRMANN
*Med. Doctori & Practico feliciſſimo.*

VIRO
ITIDEM
CELEBERRIMO atque SPECTATISSIMO
DN. JOHANNI JACOBO SPIELMANN, *Senator*
*meritiſſimo, Pharmacopæo Argentor. exercitatiſſimo,*
DISSERTATIONEM HANCCE INAUGURALEM
DEVOTISSIMA MENTE D. D. D.
AUTOR.

# Præloquium.

NOn immerito a Vulgo dicitur : Simpliciſſima Remedia optima, atque in negotio depellendi morbos Medico præ aliis REGNUM VEGETABILE (*a*) eſſe præſtantiſſimum. Herbis enim (*b*) magis quam verbis curamus morbos. Ab



(a) *Vid. Joach. Jungii Iſagog. Phytoſcopica, Edit. Hamburg* 1678. *à Jo. Vagetio in Dedicatione.*

(b) *Celſ. in Præfat. Libr. I. Edit. L. Bat.* 1665. *p. m.* 11. *& Joh. Jacob. Heidelin. Diſſ. Inaug. de Prærogativa Medicamentorum Simplicium Baſil.* 1704. §. *IV.*

initio enim à primis mundi (*c*) temporibus teſtimonio (*d*) SENECÆ ac (*e*) CELSI *Medicinæ tota Scientia fundata erat in ſola cognitione paucarum herbarum*, usque dum poſtmodum ab HIPPOCRATE Coo, optimo Medicæ Diſciplinæ Parente ac Præceptore, GALENO, THEOPHRASTO ERESIO, PLINIO, DIOSCORIDE *aliisque* magis polita & variis inventis atque experimentis (*f*) adaucta & circa earum uſum peculiarem corroborata eſt ita, ut quandoque absque ullo additamento ſolo Remedio è Vegetabili Regno petito etiam morborum atrociſſimi inſultus feliciſſimo cum ſucceſſu, ac hodie tam multis pompoſis pretioſiſſimisque excogitatis vel arte Chemica ſic paratis Remediis debellati ſunt. Ut ergo præ aliis jure optimo æſtumandum ſit Studium illud, quod verſatur circa vegetabilium cognitionem atque (*g*) eorum uſum, quodque dici ſolet Botanicum, cum cuilibet Medico Practico adeo faciendæ Medicinæ gratia ſit neceſſarium, ut absque illo recte medicari non poſſit, teſtibus (*h*) PETRO CASTELLO ROMANO & (*i*) *Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Experientis-*

*tis-*

(c) *Petri Caſtelli Romani optimum Medicum Edit.* 1637 *p.m.* 47.
(d) *Epiſtol.* 95. *Edit. Amſtel.* 1519. *p. m.* 565.
(e) *In Præfat. Lib. I. p. m.* 1.
(f) *Tournefort. Jſagog. in Rem Herb.*
(g) *Tournef. Jſagog. in Rem Herb. p.* 1.
(h) *Loc. cit. p.* 46 & 49.
(i) *In Epiſtola ad D. Ehrmann, nunc Doctoris & Practici feliciſſimi Diſſert. Inaugural. de Cumino.*

*tiſſimo Viro*, Dn. Doctore von Lindern Patrono atque Benefactore meo pie colendo. Cum itaque Studium hocce tantam habeat utilitatem & uſum, ut ſimplicibus quandoque plus præſtare poſſimus, præcipue (*k*) indigenis, quam aliunde advectis, ideoque & mihi Philobotano placuit eandem Materiam loco Diſſertationis Inauguralis eligere, atque ſolenni Eruditorum diſcurſui exponere, quantum vires meæ debiles permittunt, quæ petita eſt ex Regno etiam ſic dicto vegetabili, jucundo & ſumme utili, quæque artificioſiſſimæ corporis humani Machinæ ſaluti eſſe ac facili & ſimplici methodo adminiſtrari poſſit, & noſtris inſuper in terris creſcere ſolet.

Plantula hæc eſt é *Digitalium* genere nata, *Gratiola* dicta, quæ, licet ſimplex ſit, tamen magni uſus eſt, ſi juſte exhibeatur atque præparetur. De



hoc

(k) *Hoffmanni Medic. Conſult. Tom. VI. Append. I.* So ſetzt alſo *p.* 11. Es iſt überhaupt wohl zu mercken/daß die Weißheit und Gütigkeit GOttes die Krafft zu helffen nicht an ſolche Mittel und Dinge/welche koſtbar und nicht wohl zu haben ſind / gebunden; ſondern vielmehr die ſimpleſten Sachen und Kräuter / die gar leicht und überall zu bekommen ſind/ die beſte Kräfften und Würckungen in Heilungen der Sichten bey ſich haben. *It. D. D. Henningeri Diſſ. de Aniſo* &c. *D. Joh. Bæclero, habita hic* 1704. *p.* 2. *Et Excellentiſſimi D. Joh. Bæcleri, prædicti, poſtea apud nos quondam Botanices, Chym. reliquæque Mat. Med. Profeſſoris Filii, nunc in Facul-*

hoc nunc Vegetabili verba ſum facturus, ſimulque originem nominis, creſcendi modum, locum natalem, vires atque uſum explicaturus. Faxit Divinum Numen, ut inſtitutum deveniat ad exoptatum eventum, & cedat in Sui Nominis Divini Gloriam, plurimorumque decumbentium deſideratam ſalutem. Tu interim B. L. vale, & ſi aliqua in re hallucinatus ſum, ut conatus meos bono animo interpretari velis, eſt, quod enixe rogito.

## §. I.

Antequam autem rem ipſam aggredior, prius pertractanda venit & ordinis ratio poſtulat, ut præmittatur Nominis explicatio hujus Vegetabilis. Dicitur itaque *Gratiola* Καθ' ἀντίφρασιν, quod ob amaritiem, qua pollet, ſumentibus minus grata ſit. *Venerandus* olim Melchior Sebizius, *(l)* Medicorum Argentinenſium egregium Decus, rectius nomen ſuum eandem traxiſſe autumat ab effectu ſuo quem exerit egregio, *propter ſingulares nempe, quibus præ-*

*tate Medica in eadem Profeſſione Patri Succeſſoris, Patroni atque Fautoris mei æſtumatiſſimi, ſub Paterno Præſidio hic peracta Diſſert.* 1732. *in Proœmio, nec non D. D. Joh. Georg Wilhelm. Diſſert. hic celebrata Inaug.* 1718. *in Proœmio, it. D. Franciſci Jacobi Sachs. Diſſert. Inaug. hoc Anno exhibita de Ulmo in Præloquio & in materia p.* 27. §. *IX.*

(l) *In Speculo Medicinæ Practicæ p.* 169.

*prædita eſt*, *virtutes*, à quibus etiam GERMANIS audire ſolet GOttes Gnaden-Kraut/ oder Genade GOttes/ quo vero nomine quibusdam in locis *Geranium Robertianum* etiam inſignitur. Alii ipſi nomen impoſuerunt *Gratiolæ Centauroidis*, uti videre eſt apud CASPAR. BAVHINVM *in ſuo pinace* pag. 378. Alii *Centaurium aquaticum*, quod in locis humidioribus, aut prope aquas ſeu rivulos, languente ſtridore fluentes, creſcat, inter quos GESNERUS evolvendus. *Centaurii* autem nomen accepit & *Centauroidis*, ob ejus amaritiem *Centaurio minori* fere parem, atque foliorum analogiam, quæ quodammodo cum foliis Centaurii minoris conſpirant. A PARKINSONO *Gratiola* ſimpliciter ſalutatur, forſan, quia in omnibus Europæ regionibus deprehenditur. Dicitur etiam LIMNESIUM à CORDO *in ſua Hiſt.* quod λίμνας ſeu paludes amet, item & *Polemonium amarum paluſtre Hippocratis* â GESNERO *in Libello de Collectione ſtirpium.* *Aurina* nominatur & quidem *alba*, Wild oder weiſſer Aurin/ ad differentiam *Centaurii minoris*, quod Aurin oder Auren-Kraut ſimpliciter, noſtris in oris autem Tauſend-Gulden-kraut/ vocitetur, quod, Auro pretioſiores effectus præſtare, dicunt. GERMANI vero nuncupant noſtram plantulam Erd-Galle/ cum habeat ſummam amaritudinem felli non aut parum cedentem, quo nomine quidem etiam *Centaurium minus* intitulatur. Quidam, ac ſi κατ' ἐξοχὴν à D. T. O. M. purgandi ſco-

po

po creata ſit, contendunt; à *Mulierculis* ac *Rhizotomis* von denen Kräutlerinnen und Kräutlern aliisque *Medicaſtris* ſimpliciter vocatur das Purgier Kräutlein / vim enim purgantem draſticam ἄνω καὶ κάτω habet peculiarem. Et ne denominationem ITALORVM prætercam, ab ipſis *Stanca Caballo* nomen accepit, equi enim pabulo illius langueſcunt atque macreſcunt. GALLIS dicitur *Gratiole ou Herbe à pauvre homme*, eam ob rationem, quoniam ruſticis pauperibus, Officina pharmaceutica deſtitutis, in deſperatis morbis ſuccurrit. CORDVS (*m*) *pro Eupatorio Meſue habet*, ſed minus recte, dum ratione figuræ, altitudinis, ſaporis & virium ab *Eupatorio* quam maxime diſtet multumque differat, unde non immerito MATHIOLVS (*n*) pronunciavit, quod, *qui hanc plantam Meſuis Eupatorium eſſe contendunt, omnino cæcutiant*. Alia etiam *Gratiola* eſt, quæ cæruleos profert flores, quæ vero ad noſtrum genus, uti infra dicetur, non pertinet, cujus nomen *Lyſimachia galericulata* eſt *ſeu Tertianaria*, quam GERMANI das Fieber-Kraut vocant, cum ab ipſa febres, quas intermittentes vocamus, profligentur, quæ à TOVRNEFORTIO (*o*) Caſſidæ annumera-

(m) *In Diſpenſatorio conficiendor. remedior. Edit. L. Bat.* 1599. *p. m.* 199.

(n) *In Epitom. Plantar. p.* 464.

(o) *Inſtit. R. Herb. Claſſ. IV. Sect. I. Gen. VI.*

meratur, ſub nomine *Caſſidæ paluſtris vulgatioris*, cujus Deſcriptione, quoniam anno præterito *Nobiliſſ. Dn. Lt. Eichrodt* Medicin. Practicus feliciſſ. Carolsruhenſ. Patronus atque Amicus meus æſtumatiſſimus Auguſtæ Rauracor. de ea Diſſertationem ediderit, nunc ſuperſedeo.

§. II.

Ut autem quis de mea *Gratiola* exactiſſimam habere poſſit cognitionem, neceſſarium duxi hic apponere Pragmatologiam & accuratam Deſcriptionem atque Notam Characteriſticam, (licet multi ſint, qui notitiam hanc floccipendant, & pro pura puta philoſophica contemplatione ad Medicam Praxin nil conferente æſtiment: Es ſeye nur eine unnütze Zeit Verſchwendung/) quæ ſi vel omittatur vel negligatur, nec genuina dignotio, nec vera cognitio impetrari poteſt. Hæc à Tournef. *(p)* recenſeri ſolet in *Digitalium* numerum ſub nomine *Digitalis minimæ Gratiola dictæ* & Moris. Hiſt. Ox. 2. 494. Quæ *plantæ genus eſt florem habens monopetalum, anomalum, tubulatum utrinque patentem, & quaſi bilabiatum, ex cujus calyce piſtillum* (cum 4. ſtaminibus) *ſurgit, poſticæ floris parti ad inſtar clavi infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam è rotundo acuminatam, bifariam dehiſcentem, in duo*

(p) *Inſtit. R. H. Claſſ. III. Sect. III. Gen. II.*

*duo locumenta diviſam*, *& ſeminibus* (pallide luteis) *fœtam, utplurimum exiguis. Digitalem* minimam vero ſic appellatam eſſe exiſtimo, quod omnium *Digitalium* ratione altitudinis & foliorum minima ſit, palmam cum dimidia vix ſuperans. Cur autem illam ad genus *Digitalium* poſuerit, eſt, quod *Digitali* quoad omnes partes haud diſſimilis ſit, licet flores in longiores lacinias diviſi ſint, & folia habeat inodora in caule lævi, quadrangulari, viridi, geniculato, bino ordine per intervalla geniculatim poſita, oblonga, ad extremum acuminata, viridia, per oras ſeu margines plus minus crenata vel ſerrata, quoad guſtum acria & amaricantia; Flores, quæ habet, ex eorum alis, longo pediculo inſidentes, ſolitarii, proveniunt, & communiter ſuave purpuraſcentis ſunt coloris, albis ſtriis ornati, rarius prorſus albi, rariſſime lutei. (*q*) Semina ſunt longiora ac in aliis *Digitalibus*, & radix, quæ ſub terra repit, fibris exiguis albicantibus eſt dotata. Naſcitur plerumque in marginibus aquarum aliisque locis in humidis, floretque Menſe Junio & Julio, & noſtra in regione invenitur in der Ruprechts-Au/ ingleichem an dem Rand der Wäſſerichten Inſul formigen Wieſe bey der Grünen Warth neben dem Kupffer Hammer/ als auch bey dem ſoge-

(q) *Vid. Juncker. Conſpect. Therap. General. p. 72. & Emanuel. Kœnig. Regn. Vegetab. Edit. Baſil. 1696. p. m. 162.*

ſogenannten Mauer oder Murrhoff/ und andern feuchten Orten mehr. Hæc *Gratiola*, quæ flores fert, uti dictum, dilute purpuraſcentes, & vulgaris, perennis, & officinalis & non rarioris proventus eſt præ illa, quæ alba & in Horto Eyſtett. (*r*) ſub nomine *Gratia Dei* depicta eſt, de qua apud Botanicos Auctores nec verbulum extat, quam tamen ante tres annos prope prædium *Venerandi Capituli Thom. Præpoſiti*, *Viri Excellentiſſ. Ampliſſ. & Conſultiſſimi* DN. JOH. GEORG. SCHERZII, *J. V. D. Codic. & Conſuetud. Feudal. Prof. Publ. Ord. Facultatis Jurid. Argent. Senioris & p. t. Rectoris Magnifici*, Patroni atque Fautoris mei ad cineres colendi, auf einer groſſen feuchten Wieſe zwiſchen Dorlisheim und der Statt Moltzheim copioſè reperi, quam Speciem etiam Herbario egregio, uti dicitur, vivo, nimirum *Ampliſſimo* b. m. D. MARCO MAPPO *Med. Doct.* inſerendam exhibui, cujus etiam in ſuo opere nunc poſthumo, ſcil. Hiſtoriæ plantarum Alſaticarum inprimis ſponte circa Argentinam provenientium, ſub prælo exiſtente, quodque à me corrigitur, mentionem fecit. Peracta nunc deſcriptione ſufficiente, ſtatim augurari licet, plantulam meam *Digitalis* generi annumerandam eſſe, etiamſi dubium Auditoribus ſuis fecerit de hac re *Clariſſ.* JUNCKER (*s*), inquiens, *diſcernant, quorum inter eſt, num Centaurii mi*-

 *no*-

(r) *Vern. Ord. 6. Fol. 15. Fig. 12.*
(s) *In Conſpect. Therap. Gen. pag. 35.*

*noris potius*, *quam Hyſſopi ſpecies ſit*, pace vero hujus D*octiſſimi viri*, ſi utriusque ſpeciei Characterem reſpiciamus, ſtatim videbimus, quod quam maxime à *Gratiola* differat uti cœlum à terra, uti videre eſt ex antecedentibus. *Centaurium* enim *minus* florem habet infundibuliformem cum fructu cylindraceo vel ovato (*t*); *Hyſſopus* vero monopetalum, labiatum (*u*) ſive galeatum ac barbatum in ſpicam deſinentem, quodſi itaque ambæ plantæ conferantur cum *Gratiola*, ſequitur majori jure recenſendam eſſe ad genus *Digitalium*, quam *Hyſſopi* aut *Centaurii minoris*.

§. III.

Præmiſſa nunc *Gratiolæ* deſcriptione botanica pergendum eſt ad plantulæ meæ principia conſtitutiva, qualesque qualitates poſſidet. Supra jam innui *Gratiolam* plantulam eſſe valde amaram atque acrem, quem ſaporem *Botanicus* guſtatu ſtatim percipit, dum particulas in ſe contineat Salino ♀reas acres, ſubtiliſſimas, à quibus fatentibus (*v*) Georg. Wolfeg. Wedel. & *Clariſſ.* Junckero (*x*) *per ſuperiora evacuatio ſequi ſolet*, id quod de aliis vomitoriis etiam valet, ſtimulant enim & humores exagitant, motosque ad extra propellunt. Amaritudo autem probabiliter originem ducit à mixtione intimiore particularum Salino 🜄ſtrium & ♀ rearum, ob quam rem

(t) *Inſtit. R. Herb. Claſſ. II Sect, I. Gen VIII.*
(u) *Inſtit. R. Herb. Claſſ. IV. Sect. III, Gen. XV.*
(v) *De Medicament. Facultatibus cognoſcendis & curandis p. 11*
(x) *Loc. ſupra cit. p. 27.*

rem humores in corpore quosvis exagitat, incidit atque attenuat, ſimulque & vermes necando expellit magnique etiam uſus eſt, obſtructiones viſcerum ſolvit, atque putredinem arcendo expurgat, etiam viſceribus & hydropi mirificè confert, ad cujus aquas educendas nullum præſtantius inveniri medicamentum *Mulierculæ* noſtrates ſibi perſuadent, Folia enim cum vino infuſa vinum impregnant, ut intus ſumptum κάζω & ἄνω vim purgantem præbeat. Alii cum aqua coquunt, vel eundem in finem cum lacte infuſa uſurpant, teſtibus ACTIS ERUDIT. LIPS. *(y)* Aſt cum mihi experientia deſit propria & ſufficiens, unicuique tentamen capiendi liberè relinquo.

§. IV.

Reſtat nunc, ut ejus præparationes notatu digniores præcipuasque compoſitiones examinem, quid nimirum ex ea parari poteſt. Octonarius præparatorum numerus, quantum mihi conſtat, notus eſt, ut ℥is, Conſerva, Infuſum, Decoctum, Succus inſpiſſatus, Extractum, ▽a atque Sal.

§. V.

Quatuor priora præparata facili negotio parantur. *Pulvis* ſit trituratione, atque in ea ſubtiliſſimum in pollinem; qui in ſubſtantia datus à ℈i ad ʒi. draſticam excitare evacuationem magis per ſuperius quam inferius guttur dicitur. DE LE BOE SYLVIUS



(y) *An.* 1707. *Menſ. Jul. p.* 308.

VIVS (z) refert: quod internè exhibitus aquas & ſerum evacuet tam per alvum quam per vomitum, ſed corpus non parum turbet, unde inter violenta cenſetur purgantia, quæ tuto non omni tempore omnibusque in ſubjectis exhiberi poſſunt, *Sebizius* exhibuit ad ℥j. Quidam intra hydragoga primatum locum obtinere, & ut ſecurius exhiberi poſſit, ſuadent correctionem, quam facere ſatagunt Cinnamomo, Aniſo, Liquiritia, Vino Malvatico aut etiam Sero lactis; Alii cum ✝to eandem perficere volunt, macerant nempe *Gratiolam* in ✝to, & cum iterum ex ſiccata ſit, hinc infundunt in lac reiterando exſiccationem, tunc ☿riſant, & ſic exhibent ☿em pondere à ℈j. ad ℈ij, adverſus morbos prædictos; inſpecie vero pro lumbricis enecandis & ex inteſtinis & ventriculo expellendis. In Collegio Materiali ab *Excellentiſſimo, Conſultiſſ. atque Experientiſſ.* DN. D. SACHSIO, *Facultatis Medicæ Seniore Venerando & p.t. Decano Spectabili, Sereniſſimi Haſſorum Landgravii & Principis Hæreditarii Conſiliario atque Archiatro digniſſimo, Pathol. Profeſſ. Publ. Ord.* Præceptore atque Patrono meo ob multa in me præſtita beneficia nunquam non honorando, correctionem quam optimam edoctus ſum faciendam Zingibere & Cinnamomo. Quidam perhibent, ſi doſi legitima & prudenti Conſilio adhibeatur, cujus ſenten-

(z) *In Oper. Med. Methód. Med. Cap. XIX. p. m.* 101.

tentiæ etiam Juncker (α) eſt, correctione illa non indigere. Cæterum id monendum exiſtimo, ſi quis ea uti velit, ut recenter ſiccatam, non autem ultra annum collectam, eligat herbam, ſcil. ſi folia pulveretenus aut in Infuſo adhibeantur, uti id *D. D.* Mondſchein (β) expreſſis verbis monuit.

## §. VI.

Pulverem excipit *Conſerva*, quæ Methodo ut optima, in Pharmacopœia Argentinenſi deſcripta p. 32. paranda eſt, ſumendo nimirum ad ℔j foliorum prius minutiſſime inciſorum Sacchari ℔ij. Si enim majori pondere Saccharum ingrederetur, tunc etiam major Conſervæ quantitas eſt exhibenda, quod bene notavit *D. D.* Ettmüller (γ). An autem Conſerva, hoc modo parata, pulvere mitior ſit, uti id quidam exiſtimant, facile è præparatione eluceſcit. Interim tamen ad bilem atque pituitam absque moleſtia expurgandam à Georg. Melichio (δ) quam maxime commendatur, ob quam rem noſtratibus etiam in Arcanis habetur pro excitando vomitu ante acceſſum febris inprimis Quartanæ, doſis ejus ſunt ℥ij. & ultra, correcta prius cum Cinamomo, Aniſo.



(α) *Loc. ſupra cit. p 35.*
(β) In ſeiner Beſchreibung der Waſſerſucht Hamburg. 1712. *p.* 39.
(γ) *In Schrœderi dilucidati Phytolog. p.* 145.
(δ) *In Armamentar. Medico Edit. Francof.* 1657.

## §. VII.

Sequitur nunc *Infuſum*, quod diverſio mode parari ſolet, menſtruo ▽oſo vel vinoſo, quoniam autem reſinoſas ſive ♀reas in ſe contineat particulas, melius eſt, ut ſumatur vinoſum, quod ſequenti modo ad mentem *D. Dris* Mondſchein loc. ſupra cit. parari ſolet, ut verbis ipſis utar: Man nimmt von gemeldtem Kräutlein / ſo klein geſchnitten / 2. biß dritthalb Drachmas, gießt ein gut Glaß Rhein-oder Frantz-Wein / oder endlich warm Bier darüber / und nachdem es über Nacht in einem warmen Ort geſtanden / und durchgerungen worden / giebt man es dem Patienten auf 1. mahl ein. Ab Ettmüllero vero jam ſæpius citato ſumitur tantummodo Infuſi ʒj, ad ʒiij. & ſic minus draſtice operari perhibet, cui etiam ex modernis conſentit *Clariſſ.* Junckerus (ε) & ad ℥ß. porrigit. Alii ob amaritiem Saccharum addunt, à quo gratioris fit ſaporis; licet Saccharum ſaporem adverſum penitus non auferat. vid. Juncker *Conſp. Formular. p.* 81.

## §. VIII.

*Decoctum* quod attinet, decoquuntur folia parum cum aqua, ad lenem ſcil. ebullitionem, quod Thomas Bovius (χ) mire in Quartana celebrat; cavendum autem ne ſenſibilioribus plethoricisque propinetur ſubjectis, quia in his magnam ſanguinis commotio-

(ε) *In Conſp. Formular. p.* 5.

(χ) *Vid. Barthol. Zorn l. c. p.* 335.

motionem atque orgaſmum inducit; ſic febrem magis promovet quam imminuit. Coquuntur etiam folia à quibusdam parum cum ▽a, quæ poſtea miſcetur cum decocto prunorum ſpiſſo, ad obtundendum inſignem amarorem, vel cum melle aut paſſularum decocto edulcoratur, quod utile ad aquas hydropicorum educendas prædicatur, alio modo paratum decoctum vid. apud Tabern. loc. cit.

§. IX.

Tranſeundum porro ad *Extractum*, tanquam ad partem HBæ concentratiorem eſſentialem, quod fit ex ſucco herbæ prius mundatæ recenter expreſſo & moderato △is gradu (methodo ordinaria Pharmac. Argent. *p.* 97.) inſpiſſato, ut vis purgativa eo melius conſervetur, diutius autem quam par eſt coctum, ut cætera purgantia vel emetica è Vegetabili regno deſumpta, fatente Hoffmanno *in Obſ. Phyſ. Chym. p. m.* 168. *omnem ſuam draſticam vim deponit*, ideoque leni inſpiſſatione opus eſt: qui labor vero ut rite peragatur, ſumenda ſunt folia Menſe Majo cum caulibus collecta ſucco eodem tempore turgentia, *monente* Schroedero (ζ), ex quibus parumper contuſis ſuccus exprimitur, qui ſic expreſſus in concha vitrea vel ▽ea leni carbonum △e ad juſtum Extracti ſive pultis craſſioris formam incoquitur, & poſtea in vitro probe obturato in loco ſicco conſervatur. Quia autem *Extractum* hoc in ſe +vdum amaricantem

tem

(ζ) *In Pharmacop. Medico Chym. p. m.* 779.

tem ſaporem continet minus gratum & nauſeoſum, ideoque non alia forma quam pilulari (vid. Teichmeyeri *Inſtit. Chem. p.* 245.) ad aliquot grana exhibendum eſt, quæ ſumptæ cum catharſi etiam diureticam vim poſſident non minorem, uti id aſſerunt Acta Ervdit. Lips. *l. c.*

§. X.

*Aqua* ex integra herba, Menſe Majo collecta, per aſcenſum ſive deſtillationem per alembicum more *Chemicorum*, uti *Excell. D. D.* Teichmeyer (η) docuit, parata & in *Officinis* proſtans, purum putum phlegma eſt, nullius odoris atque ſaporis, hinc etiam interne non aliter quam vehiculi loco uſurpanda eſt. Exemplum vid. *in* Hartmanni *Prax. Chym. Edit. Norimb. p. m.* 362.

§. XI.

Denique ad *Salificationem* oculus dirigendus eſt, quæ inſtituitur per combuſtionem totius plantæ in cineres albos, ex quibus cum ▽æ calidæ affuſione extrahitur lixivium, quod filtratum coctione legitima evaporetur vel ad ſiccitatem, vel ad liquoris ſufficientis incocti ſcryſtalliſationem decoquitur, cui deſuper deflagratur aliquid ♁ris, quo ipſo tamen vis alcalina caſtratur. Quod Salcineritium, hoc modo paratum, commendatur in hydrope, utut virtute purgativa ſpoliatum ſit (ϑ), cujus ſententiæ etiam Pharmacopeia Nostra eſt, quando p. 147. quo-

(η) *In Inſtitut. Chem. p.* 57.
(ϑ) *Conf. Ettmüller loc. cit.*

quorundam Salium e. gr. Salis Artemiſiæ, C. B., Cent. min. Geniſt. Junip. Ononid. &c: meminit, deinde addit: *Quibus diverſæ quidem adſcribuntur virtutes, ſed ſi dicendum, quod res eſt, non multum diſcrepant*, vid. de hac re & *Excell.* BOERHAAVE. (ι). TEICHMEYERUS (κ) quæſtionem movet, *an etiam quædam qualitates ſpecificæ in Salibus fixis adhuc ſuperſint? reſpondet affirmative; Nam* 1.) *hoc concludendum*, inquit, *exinde, quoniam, quamvis Salia Vegetabilium omnia ſuccum Violarum mutent in liquorem viridescentem. tamen colores in gradu aliquo modo diſcrepant. Alia enim viriditas oritur à Sale Abſynthii, alia à Geniſtæ.* 2.) *Salia hæc cryſtalliſata à ſe invicem differunt in figuris cryſtallorum.* Quam concluſionem Teichmeyerianam ante aliquot annos diſcurſu orto Chemico, limitatione quadam D. D. von Lindern *Chymicus Curioſiſſimus* in dubium vocavit, cum diſcrepantiam hanc lixivio plus minus ſaturato, experimento ſæpius facto, adſcripſerit. *Interim*, pergit TEICHMEYERVS, *non affirmo, quod vis purgans v. g. in Laureolæ, Cucumeris Aſinini, cineribus amplius ſuperſit talis, qualis fuit in Herba, nam illa perignem in incineratione deſtruitur.*

§. XII.

Hiſce de Nomenclatura, Structura, ſenſu guſtus & Præparationibus pharmaceuticis & domeſticis poſitis

 ſuf-

(ι) *Element. Chem. Tom. II. p. m. 45. Edit. Lipſ.* 1732.
(κ) *Loc. cit. p.* 179.

ſufficit, catena ordinis porro, ut aliquid clarius de ipſius virtutibus in medium proferam, poſtulat, quas experientia hic non quidem in omnibus propria, ſed ex Scriptis Autorum forſan fide dignorum collecta, fida rerum magiſtra docuit, quod plantula noſtra indigena ſatisque obvia non tam interno quam etiam externo uſu ſe commendet. Interne laudatur iis in affectibus à Cachexia & ſpiſſitudine atque lentore ſeri & lymphæ originem habentibus, ut in Tertiana, Quartana, febribus intermittentibus, in quibus, ubi materia viſcida, lenta, craſſa, pituitoſa adeſt, à qua & ſanguinis circulatio per viſcera hypochondriaca, ut Lienem, Hepar, Pancreas, Meſeraica & inteſtinalia vaſa &c. ob ſummam vaſorum in extremitatibus exilitatem, quam maxime retardatur, nec rite ea intrat, hinc ab humoribus hiſce viſcidis, lateribus vaſorum impactis, infarctus & obſtructiones fiunt, a quibus prædictæ febres generantur, aut facile in ſubjectis phlegmaticis humidisque in locis vitam degentibus, non excluſo hic rerum non naturalium peccato, in hydropem abeunt, quare non cunctandum, quia affectus pertinax, & brevi quandoque tempore incurabilis fieri poteſt, ſed præmiſſo remedio digeſtivo, ſtatim in principio vomitorium adhibendum, ut ſaburra primarum viarum eliminetur; ſi vero ſubjecta robuſtioris corporis ſint, & ſyſtema nervoſum non adeo ſenſibile habeant, magnamque viſcidam & tenacem materiam ſeroſam alant, *Gratiola*, ob vim emetico-purgantem,

tem, incidentem, attenuantem, viſcerum obſtructiones ſolventem, utique præberi poteſt. Sic Tabernaemontanus (λ) ex Matthiolo enarrat: Es nehmen auch die Bauren die Blätter mit Oblat ein/ und purgiren ſich damit. Foliorum autem Infuſum cum ſero lactis interdicit his verbis: Aber mit Milchwaſſer oder Molcken eingenommen / würcket es viel hefftiger / dann ſo es allein gebraucht wird: bewegt zu Erbrechen / purgieret mit groſſem Unluſt / ſchwächt den Magen / die Leber ſampt andern natürlichen Gliedern. Hinc hoc modo non ſuadendum. Den Extract nimmt man in den langwierigen dreytäglichen Fiebern und dem Hufftweh / muß aber wegen ſeiner Bitterkeit nicht zu viel gebraucht werden/ quod Extractum ad Quartanam præcipue à D. Martino Pansa *in Ciſta Hornung Epiſtol.* 115. commendatur, recenſente Zornio loc. cit.

## §. XIII.

Inprimis in Hydrope, in ſpecie autem in Leucophlegmatia atque Anaſarca ab obſtructione dependentibus & lymphæ lentorem pro cauſa agnoscentibus, unica ſpes ſtatim in principio in Evacuantibus, Aperientibus, dein materia educta & corpore perſpirabili facto in Diaphoreticis & Diureticis quærenda, inprimis ubi corpora adhuc robuſta vi-

 res-

(λ) In ſeinem vollkommenen Kräuter Buch. Baſel 1731. gedruckt / *p. m.* 754.

reſque conſtant, plures *Practicorum* (μ) *celebrium* ad plantulam noſtram tanquam ad ſacram anchoram, ſi leniora Cathartica nec celeriter nec cum bona euphoria opus ſuum peragant, & nihil aliud obſtet, confugiunt. Nam, monente *D.* WALDSCHMIDIO (ν), *in hydrope aut fortiter purgandum, aut non purgandum, lenientium enim uſum ſemper inſequitur major pedum intumeſcentia, & Hydropici naturam in ferendis Catharticis rite explorare potior curationis pars eſt.* Huic etiam favet *Illuſtris* HOFFMANNUS (ξ): In Anaſarca vel Leucophlegmatia ubi copia Aquarum per medicamenta cum euphoria eſt educenda, id omnium maxime per purgantia paulo fortiora, in principio morbi, ſufficienti doſi & debito regimine exhibita debet præſtari. In morbis autem levioribus & corporibus ſenſibilioribus vehementer vomitum ciet, uti mihi triſte exemplum notum, ubi manipulus dimidius *Gratiolæ* in vino infuſus & expreſſus poſtea Vicinum noſtrum ante duos annos ita ἄνω & κάτω per ſex dierum ſpatium exercuit, ut neceſſitate coactus

(μ) *Clariſſ. Franc. Diſſ. de Hydrope Aſcite Witteb.* 1690. §. *XXIV. Williſ. Pharm. Rational. P. II. Sect. II. Cap. III. Chriſtian. Joh. Lange Diſſ. de Hydrope, Jenæ* 1685. *p.* 27. *D. Schamsky Promptuar. parv. Medic. Prag* 1714. *p. m.* 432.

(ν) *In Praxi Medicin. Rational. ſuccincta per caſus tradita Edit. Francof.* 1690. *p. m.* 296.

(ξ) *In Med. Ration. Syſtem. Tom. IV. Part. IV. C. XIV. in Therap.* §. *IV. & V.*

ctus Medici opem atque Chirurgi implorare, quem *Venerandus D. Senior noſter* feliciter Sanitati priſtinæ reſtituit. In Hydropicis autem alia res eſt, ut mihi videtur, ſiquidem, ſicut docente prædicto HOFFMANNO, emetica ex Antimonio parata, quæ alias per vomitum in hydrope vero per alvum magis vires ſuas exerere videamus, ita & hic noſtra *Gratiola.* Verba ejus ſic ſonant: *Emetica ex Antimonio parata per alvum magis quam per vomitum operantur, forte,* pergit, *quod nervoſæ ventriculi & inteſtinorum tunicæ ab Aqua ſtagnante nimis ſint flaccidæ & relaxatæ. Unde luculenter apparet, ad ingentem Aquarum molem ex univerſo corpore per alvum exturbandam leniora & mitiora prorſus non ſufficere, ſed talia omnino requiri, quæ ſubtili quodam & penetrante Sale ſuo nervoſarum & muſculoſarum partium Syſtema, maximeque ventriculum & inteſtina ſtimulando inſignem Aquæ copiam eliminandi vim poſſident; inter quæ purgantia ipſa vomitoria primas tenent, ſi pro diverſitate naturæ corporis plus minus ſenſibilis, convenienti doſi exhibeantur. Nam certe non pauca dantur exempla eorum, qui poſt triginta & plures dejectiones exceſſiva hydragogi doſi integre convaluerunt*; hiſce etiam *Celſiſſimus Comes* DE BELFORT miracula præſtitit. Et in Cautela II. ſcribit laudatus HOFFMANNUS: *Id vero circa fortiorum purgantium Uſum in Leucophlegmatia nempe & Anaſarca, ſerio monendum exiſtimo, quod in principio quidem locum inveniant, dum vires adhuc conſtent, ſed quod non*

*crebrius*, (tantum una vel altera vice *docente b. m. D. D.* Salzmanno in Collegio Patholog Practic.) *& niſi interjectis ſex ſeptemque diebus ſint repetenda, atque interea vires medicamentis & cibis laudabilem ſuccum præbentibus roborandæ.* His obſervatis laudatur maxime à citato D. D. Mondſchein (o) Bey noch kräfftigen Patienten kalter Conſtitution habe an der dünnwäſſerichten Anaſarca groſſe Curen verrichtet mit dem gebenedeyten Kräutlein *Gratiola*, Wild Aurin genannt / wann ich von dieſem friſch auffgeſammleten den Safft ausgepreſſet / und ℥ß. mit Wein und warm Bier gegeben; indem binnen 2. oder 3. Tagen biß 5. Stübchen Waſſer abgeführet / und mit dieſem eintzigen Mittel zu meiner und des Patienten Freude die Cur beſchloſſen / daß ſie Beſtand hatte. Die aber wegen ſtarcker Quantität deß Zers / kein Zer nehmen können / giebt man ſolches in Infuſo (§. VII.). Wobey ich ſagen muß / daß ich einen unter meinen Patienten gehabt / bey welchem es nicht zum Vergnügen gewürcket / biß ich die Doſin über die helffte verſtärcket / da es doch ohnedem alles Ernſts würcket. In febre tertiana mihi notum pariter eſt, quod Infuſum vinoſum ex *Gratiolæ* Mß. duo ſubjecta prioris ſexus optima cum euphoria ἄνω & κάτω non admodum violenter expurgaverit, quæ ſublata hoc modo primarum viarum ſaburra, optime convaluerunt.

(o) *Pag.* 39.

ſunt. Hartmannus (π) occaſione Anaſarcæ hoc modo *Gratiolæ* laudem evehit: *Maximum arcanum* ſcribit *in Gratiola eſt. Hæc ergo ſemper in copia tum purgantibus, tum aliis Medicamentis admiſcenda. Poteſt etiam fieri ex ea Extractum vel Sal, & ex iis hæ pilulæ*: ℞ Extract. Mechoacann Gratiol. *an.* ℈j. Salis ejusd. gr. v. M. f. Pil. *purgant per alvum & Urinam.* Cum & Hydropicis *Clyſmata* conducant, quæ ſymptomata non parum Hydropicorum alleviant, *Gratiola* noſtra in illis non infimum obtinet locum, præſertim ſi cum pectoris ac capitis affectibus divexentur; *D.* Michaelis (ρ) quædam recenſet, quæ huc quadrant: ℞ HB. Gratiol. Agrimon. Fl. Sambuc. Acac. *an.* Mj. rad. Jr. noſtr. Bryon. *an.* ℥j. Bacc. Laur. ʒvj. coqv. in ſ. q. Urinæ pueri vel Seri lactis, Colat. ℞. Elect. hier. picr. de bacc. Laur. *an.* ℥j. Nitr. Antimoniati ℈ij. vel ʒj. M. f. Enema. *Vel ſequens*: ℞. HB. Gratiol. Soldanell. Flor. Geniſt. Sambuc. *an.* Mj. Cort. interior. Frangul. Ebul. Sambuc. *an.* p. III. coqv. in ſ. q. Seri lact. Colat. ℞. ℥viij. in quibus diſſolv. Elect. de bacc. Laur. ℥j. Extract. rad. Eſulæ ʒß. Nitr. Antimoniati ʒj. vitell. ov. No. I. f. l. a. Enema. Nec non in Nodulo Hydropicis exhibet *Gratiolam* noſtram, e. g. ℞ Flor. Bellid. Acac. HB. Gratiol. *an.* M. j. Rad. Eſul. ppt. ℥ij. Jalapp. ℥ß. Rhab. Monach.

(π) *Prax. Chymiatric. Edit. Genev.* 1682. *latinè p.* 306. *& Norimb.* 1678. *Germanice p. m.* 368.

(ρ) *In Operibus ſuis Medico Chirurgicis Edit. Norimb.* 1688. *Part I. Libr. IV. p.* 166. *&* 167.

nach. ℥j. Paſſular. min. ℥j. Inciſ. f. Nodulus, *qui adſpergatur TRâ Tartari. Poſſunt etiam hiſce Nodulis addi corrigentia, ut cortices ☉rantiorum.* In malo adulto autem, aut ſubjectis delicatis, mitiora tantum ſufficiunt, & fortiora, ut *Gratiola* noſtra, quia nervoſum genus his in ſubjectis nimis irritat, nocent; nec ubi euſplanchnia deeſt, aut vaſa lymphatica ob prægreſſum infarctum rupta, aut ſcirrhus adeſt, quo in caſu res conclamata, & malum incurabile eſt, locum inveniunt.

§. XIV

An autem *Vegetabile* noſtrum in Ictero flavo conducat, in quo à quibusdam commendatur, altioris indaginis eſt, niſi a Diætæ vitio originem traxerit, & in hominibus quadratis dictis, in quibus pituitoſâ amurcâ prima regio tota quanta obſeſſa eſt, & in principio adminiſtratum, aliis in ſubjectis, aliisque de Cauſis ortus, hoc Æmetico-purgans magis nocivum evadit; hinc talia fortiora emetico-purgantia hoc in morbo cum *Cl.* HOFFMANNO, JUNCKERO *aliisque* lubenter intacta relinquam.

§. XV.

Idem ſentiendum eſt in expulſione Vermium, niſi iterum nimia ſaburra verminoſâ mixta in robuſtiſſimis ſubjectis præſens ſit; licet BARTHOL. ZORN. (σ) ANGELUM SALAM recenſeat, *qui cujusvis generis vermes ex ſtomacho & Inteſtinis ſine ullo periculo & mo-*

(σ) *Botanolog. Medic. p.* 335.

*moleſtia mirifice exturbare ſcribit*, & HEURNIUM, *qui potione ex Gratiola latum lumbricum ſe una cum aquis expuliſſe, narrat*, quia ob ejus draſticam vehementiam facile Hyperemeſes ſequuntur; attamen *Infuſum* cum lacte, uti (§. III.) indicatum, valde & absque omni violentia lumbricos eliminare, ACTA ERUDIT. LIPS. celebrant. In *Clyſteribus* autem uſurpatum anthelminticum tutum eſt, hinc laudatur á TABERNÆMONTANO (τ): Das Kraut in Waſſer geſotten / und die Brühe in einem Clyſtier gebraucht / tödtet die Würme.

§. XVI.

Externe *traumatica* plantulæ noſtræ *virtus* etiam adſcribitur, annotante MATHIOLO (υ) *Vulnera*, inquit *celeriter ſanat, ſi trita ſuperponatur*, & TABERNÆMONTANUS (φ) die Blätter grün zerknitſcht und auffgelegt / oder dürr gepülvert und eingeſtreuet / heilet die Wunden / & quidem brevi tempore (χ) Item ANDREAS CÆSALPINUS (ψ): *Efficax vulneribus glutinandis, caſu inventa eſt*, Scribit, *cum in campo fœnario quidam vulneratus in capite, concidiſſet, obducta capiti herba, cum alia non eſſet ad manus, vulnera glutinata ſunt.* Item (ω) der Safft bey dem Feuer dickgemacht / oder mit Roſen Oehl und friſchem Wachs zu einer Salben bereitet / wird zu den Geſchwären und alten Schäden gerühmt. Item Der Safft wie auch das gebrandte Waſſer machet eine glatte Haut / und nimmt (inprimis Succus) die Flecken und Maſern hinweg.



(τ) *Loc. cit.*
(υ) *In Epitom. Plantar. p. 464.*
(φ) *Loc. cit.*
(χ) *Zorn. Botan. loc. cit.*
(ψ) *Libr. VI. de Plantis Cap. 65. Edit. Florent. 583. p. 265.*
(ω) *Zorn. Loc. ſupr. cit.*

§. XVII.

An Radix *Gratiolæ* easdem vires poſſideat, & eadem doſi exhibenda ſit ac radix Ipecacuanhæ, nempe in Dyſenteria, in qua eam ACTA ERUDIT. LIPS. *loc. cit.* laudant, dum experimenta circa hanc mihi nondum ſint nota, nec apodicticè affirmabo, nec negabo.

§. XVII.

Atque hæc ſunt, quæ circa *Gratiolæ* meæ Naturam, Vires & Uſum in lucem emittere potui. Plura quidem de *ejus* Uſu in aliis rebus addi potuiſſent, qui à *Gratiola* á *Bubulcis* in *Lue Vaccarum* ante aliquot annos ſæviſſimè in Alſatia noſtra graſſata, obſervatus eſt, quem in ea præſtitit. Cum autem *Medici* proprium non ſit, ut manus porrigat in hoc caſu auxiliatrices, niſi à *Superioribus* ipſis ſit impoſitum, inſuperque etiam multa Conſilia (*a*) jam à Medicis extent, ulteriorem inquiſitionem hic omiſi. DEO interim TER OPTIMO MAXIMO pro præſtitis beneficiis in omni vita mea, tum in ſtudiis meis Academicis, atque hâc etiam, quæ nunc finitur, opera, humillimas devoto corde grates exſolvo, utque conatibus ulterius meis in ſalutem proximi tendentibus, felicibus ſemper ſucceſſibus adeſſe velit, ardentiſſimis ſuſpiriis efflagito. A LECTORE vero BENEVOLO, ſi quæ prætermiſſa, vel inepte tradita aut negligentius expoſita ſint, æquum judicium manſuetamque correctionem mihi promitto.

TANTUM.

(a) *Vid. Rudolph Jacobi Camerarii Diſſert. de Lue Vaccarum habita Tubing.* 1713. *& Hoffm. Med. Conſultat. Tom. VI. in Append.*